

III.

NEOVIDENSIS

Nro 64. (*Neovidensis* 1805. Nro 61.)

Ex Campis Elysiis

Colloquium Politicum vita functorum.

Elysium -- Meum, -- Die Martis 13. Aug. 1805. (*Neov.* 30. Julii,

Vestrum jam consilium est, non solum meum, quic
sit vobis faciendum.

Tull. in Epist.

Politice controversie.

In tabulariis politicis asservantur facta, quæ
ibidem quasi sepulta jacent; sed data op-
portunitate consultationum producuntur, &
tanquam a morte revocantur ad vitam histo-
ricam. Ita officiosæ gallicæ ephemerides die
24. Julii de itinere Domini de Novosilzoff
Berolino Petropolim factæ sub titulo: *Bero-
linum de 15. Julii*, sequens valde fustum scri-
ptum ediderunt:

Dominus Novosilzoff heri (14. Julii) Pe-
tropolim reversus est; Antequam abiret, mul-
ta adhuc contulit cum Domino Jackson.

Ejus missio fuit per totam Europam plu-
ribus mensibus prius annunciata, quam reipsa
evenerit. Hoc unum suffecit ad illam ineffi-
caciæ reddendam; suppeditavit præterea

materiam multis inquisitionibus, deliberationibus, & factionibus. Postquam Dominus Novosilzoff proclamatus fuit, potius esse alator mandatorum, quam pacis conciliator, ejus missioni indita est rursus alia forma, ut invidiam, & odium pareret: Dicebatur ei cum solo Imperatore esse agendum. Qui hunc absurdum rumorem disseminaverunt, non ignorabant, per omne postulatum, magnæ potentiæ debitæ observantiæ adversum, ipsam missionem, cujus finis alioquin obscurus erat, in fenum abituram. Quantumve fuerit involuta, apparet inde, quod contraria continuerit mandata. Verum omnia ad trutinam vocando, mandatum, quo Dominus de Novosilzoff Petropolim revocatus est, plus favet paci, quam, quo missus erat Parisios.

Si ille ea de causa venisset, ut amicitiam Galliam inter, ac Russiam redintegraret, tunc verisimilius oleum, & operam non perdidisset. Quid enim habent commune Gallia, & Russia? Utraque est sui juris, neutra potest alteri nocere, prodesse autem egregie. Imperator quidem Gallorum multum potest in Italia, sed Imperator Russiæ longe plus apud Portam Ottomannicam, & in Persiâ. Horum alter restrictus est, ne possit imperii sui fines proferre, & suam potentiam præ cæteris augere; alter vero vim suam exerit in duo potentissima regna, quæ longo tempore eadem, qua Gallia, & Russia, politica utebantur prærogativa, quæve Arabiæ, mari caspio, & nigro dominantur. Si Russia pu-

tat se habere jus determinandi limites, in-
 tra quos se Gallia debeat continere, tunc
 sine dubio ostendit se paratam ad indul-
 gendum, ut eidem Imperator Gallorum præ-
 scribat terminos, quos egredi non possit.
 Si illa ope telescopii ab Herschellio con-
 fecti ex palatio taurico observat, quid agat
 Imperator Gallorum cum nonnullis montium
 Apenninorum populis, tunc verisimilius non
 exiget, ne Imperator Gallorum videat quor-
 sum sit evasurum vetus, atque celebre Tur-
 carum regnum, nec non Persia; ne non vi-
 deat, inde a duobus annis totum Caucasum,
 ad solum desiderium nonnullarum hujus vi-
 ciniæ familiarum, Russiæ esse adjudicam;
 totam Valachiam, & Moldaviam potestati
 Russorum subiectam; Ostia Phasis occupata,
 ibidemque munimenta erecta; denique dum
 cogit Portam Onomanicam tolerare suas
 usurpationes, viam sibi jam latissimam stra-
 visse penetrandi ad interiora Persiæ.

Eone jam debilitatis delapsus sit Impe-
 rator Gallorum, ut æquo animo ferat; se
 a Russico negotiorum gestore trahi ad red-
 dendas rationes de eo, quidnam egerit in
 regionibus Russiæ ignotis, & quibuscum
 illa nullum habet nexum, nullam commu-
 nionem; ut oculos claudat, ne videat, &
 se a respondendo continet; dum Imperator
 Selimus minus est Dominus Constantinopoli,
 quam æquissimus ablegatus Petropolitanus:
 dum Bosphorus violatus est, dum consecra-
 ria occupatæ Crimiæ, & ostiorum Phasis

quotidie magis sentiuntur, dum querelæ Portæ Ottomannicæ, esto metu oppressæ, Europam excitant, dum denique non est Præfectus in Morea, non Turca Constantinopoli, qui se singulis diebus mane non pararet, ad videndam ex mari nigro Classem ante palatium Imperatoris anchoras jacentem, ad audiendum præconem bellum denunciante, & scloporum ictus in horto Selimi excipiendos.

Si autem Russicus negotiorum gestor declarando Parisiis, ut Auctoritas in Italia imminuatur, una diceret; interponetur fidejussio pro Persia, & Turcia, Bosphorus amplius non violabitur, sed recepta consuetudini convenienter, ab eo omnium nationum naves excludentur; Tractatus A. 1798 non renovabitur, Subditi turcici non utentur imposterum vexillis russicis; Militia pro parte Russiæ magnis sumptibus in Albania conducta dimittetur; naves in mari nigro eum numerum nunquam excedent, qui Portæ Ottomannicæ periculum intentarent, antequam de eo Gentes Europææ possint edoceri; fluvius Phasis deseretur, Caucasus Regi Persiæ restituetur, atque hoc late patens regnum sedatis tandem internis tumultibus tranquillitate potietur; qualem hic sermo haberet effectum, facilis est conjectura; profecto quamvis Aulæ Gallicæ arcanis non simus initiati, affirmare tamen audemus, Imperatorem Gallorum ad ineundam tam excellentem transactionem promissimum futurum; Non cederet minis, sed voto, ut

libertas populorum, & felicitas generis humani constabiliatur. Quantacunque faceret sacrificia pro libertate Portæ Ottomannicæ, & Regni Persiæ, semper lucraretur; posteritas, ejus commoda promovet, eum suum patronum agnosceret, ejusque perspicaciam miraretur, quâ prævidet futurum, ut Russi universum sibi subjiciant orbem terrarum, quemadmodum modo in sua potestate tenent septentriones; ut universalem monarchiam consequantur, quæ jam toties Europæ terrorem incussit, & diu meta superbiæ habebatur populi gallici, qui tamen rebus omnibus in suo regno instructus est, nec reperit alibi, quod iis præferendum foret, sed nec potest unquam libertati aliarum provinciarum officere.

Si Russicus legatus attulisset propositiones ex parte Angliæ, quis non videt indissolubiles difficultates, quas novæ instructiones Russiæ, & postulata tractatui injecissent? Cujuscunque generis sint controversiæ, de quibus Gallia, & Anglia disceptant, eone hæc duæ nationes prolapsæ sunt, ut earum decisionem a longinquo regno, in unius, & alterius publicis emolumentis adhuc parum versato, expectent?

Quod Aula Londinensis missionem Domini de Novosilzoff singulari exceperit gaudio, causa erat, non vana spes, ut non tantum Russiam in suam societatem pertraheret, verum per Russiam etiam Austriam, vel Borussia, Exploratissimum enim habet, sola

accessione Russiæ sibi non esse integrum cogitare de divisione Galliæ, quam stulte sibi designavit, nec cessat de ea tempore amenitiæ somnare. Si Gubernium Anglicum voluerit pacem, facile intelliget, ad Gallicam interrogationem dandum esse Anglicum responsum. Hæc duo idiomata faciliorem admittunt interpretationem, quam quodcumque aliud, imo si tertium accederet, non nisi perturbarentur tractatus.

Poteratne, quæso, Dominus de Novosilzoff claras habere ideas de tam involutis negotiis? Scivitne tempore confectæ pacis Ambianensis nondum fuisse plene subjectum potestati Anglorum Regnum Mysorè; tardius dein eversum imperium Marattarum; Anglos suam potentiam in Indiis altero tanto majorem effecisse; nulli europææ navi ad illam mariam viam patere? Cogitavit forte, Galliam Indico commercio in perpetuum renunciaturam? Num animadvertit, hic non esse solum sermonem de negotiatione ad Indias, sed de eo, cui Catharina semper refragabatur, at Anglia vi tormentorum ad Hafniam extorsit? In quod Gallia nunquam consensura est, id Nelson in sinu Finlandico a Russia obtinuit. Numquid non perpendit, a tempore initæ hujus conventionis, quæ uniuscujusque etiam minime arrogantis nationis jurebus adversatur, jus obsidendi semper magis, ac magis fuisse extensum; integros fluvios, oras maritimas ad centum miliaria protensas, portum Gaditanum fuisse obsessum,

ipsam etiam Genuam, licet jam a sex mensibus nulla navis Anglica ibi fuerit visa; singularis effectus benevolentiae nonnullarum Gentium? Utrumque obsidio Genuæ publicata fuit, illico Venetiis, Tergesti, Ulysi-pone, in portibus septentrionalibus suspensa est transmissio mercium.

Si hic legatus plena rerum agendarum potestate instructus venisset, ut annunciet, Russiam impetravisse omnimodam libertatem Indiarum, atque commercii, agnitionem communis juris in omnia maria, renunciationem juri obsidendi in vero hujus verbi sensu, & una petisset, ut italica corona alterius capiti imponatur, ut nonnullæ provinciæ trans Alpes dimittantur, si, inquam, eo fine venisset, ejus adventus fuisset cum gaudio exceptus, nulla ei impedimenta fuissent posita, missionem suam ex sententia confecisset. Sed si voluit, ut omnia Angliæ facta approbentur, ut ejus jus visitandi naves, & integra regna obsidendi recognoscatur, ut ejus immane incrementum in Indiis ratum habeatur, & præterea Gallia cogatur ad excedendum ex Parma, & Genua, utque italici coronæ in perpetuum renunciaret, tunc manifeste quæsisisset Galliam opprimere, eamque ad illa retrudere tempora, quibus Polonia pro libitu fuit divisa. Gallia non caret viribus, fortitudine, atque militia, & quæcumque exsurrexerit per Anglo's coalitio, Gallia quidem dolebit Anglicum aurum tantum posse in continentem, at tamen novum hunc nodum gordium; uti duos priores, dissecabit.

N U N C I U M. ***

D. Daniel Tállyai , L. R. Q. Civitatis Posoniensis Officii Consulatus Actuarius, in Domo antehac Ketskésiana, nunc vero Comite Carolo Eszterháziána Nro. 82. insignita, in posteriori parte ædificii, contignatione prima habitans, genuina, ac generosissima Vina Tokayensia, talia quidem, quæ Deus providaque natura per Solum Hegyallyense generi humano benigne concessit cum in Lagenis pro 2 fl., 2 fl. 30 kr. & 3 fl.; tum & jam vasatim venum dat, atque ut hæc per Emptionem publici juris fiant, præsentibus Publico notum reddit.

N U N C I U M. ***

Hic Posonii existens Officialis cujusdam uxor, juvenis, pauper, sed e bona domo oriunda, marito & prolibus destituta, Linguarum Gallicæ, Germanicæ, & Slavicæ, omnium item operum muliebrum optime gnara, servitia sua, operamque, qua Præfecta, Domicellis educandis, & instituendis fideliter impendendam in alicujus Magnatis aliusve illustris familiæ domo, erga 300 fl. Salarium, vel alias etiam minores honestas Conditiones, futuramque sui provisionem, offert. Qui itaque opera ejus in educandis rite Domicellis suis uti voluerit, ut Responsum, cum conditionibus clare expressis, Posonium ad Typographiam Belnayanam quesitius Franco dare velit, enixe orat.